

Bibliothèque numérique

medic@

**Benon des Chasnes, Vincent -
candidat / Robert, Marin-Jacques-Clair
- président. - An frictus sit salutaris ?**

1789.

***Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°174***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0174

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCE,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

BIU Santé
Médecine
Paris

QUÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS,
manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis duodecimâ mensis Martii,
anno Domini M. DCC. LXXXIX.

M. MARINO-JACOBO-CLARO ROBERT, Doctore Medico,
Præfide.


An frictus sit salutaris?

TANTA est proportio, liquidum inter firmum & firmum diversi
& ejusdem generis, liquidum & liquidum cujuscumque generis,
inter partes corporis quodam molem, duritiem, numeram, situm &c. ut
amborum uno mutato mutetur & alterum necesse sit. Utrumque quot
phasas infandum! Qualis utriusque commutatio vix dicendum! Ambo-
rum vicissitudines, ex uno in alterum transmutationes, inter utrumque
analogiam, proportionem, comparisonem, similitudinis atque dissimi-
litudinis diversos respectus enarrare quis poterit? Multifariam enim mul-
tisque modis alterantur, corrumpuntur, generantur, atque metamor-
phosi omnimodâ, tot tamque diverso quinimò omnes formæ edu-
cuntur è materia penâ quæ est omnium corporum subjectum, eorum-
que proprietatum fons & origo, quippè quæ omni & soli corpori com-
municatur multigenis variata figuris, modò enim simplex modò diversa
sentitur, uniformis modò, modò varia, homogenea, heterogenea,
constans, mobilis,

*Non quod multa harum simili sint prædita formæ,
Sed quia non vulgò paria omnibus omnia constant.*

Lucr. l. 2,
vers. 336 337.

materia enim nusquam destruitur, neque cadaver est, neque sepulchrum,
sed cadaver & sepulchrum sibi; nec cælo, nec terris, nec aquis, sed
ubique jacet; horum-ce nulla est, sed omnia: ipsa enim totius mundi



2

hujus - ce aspectabilis pro theatro sese mutuò præbet atque subji-
citur in quo personas omnes hujus comediæ rectè regit auctor motus ex
quo figuræ formantur, aggeritur moles, nascuntur tandem omnes cor-
poris modificationes periturae, in nova corpora denuò mutandæ. Ipse si
quidem totus occupatur in corporum omnium conciliandis figuris, nihil
quod penès eum non sit, totum & omne regit, gubernat, præducit, des-
truit, naturâ tamen semper remanente constanti indestructibili cujus fa-
cies semper eadem.

II.

CORPUS in partium ipsum componentium motu constanti perpe-
tuoque consistens, pro ipsius motûs quantitate, diversitate, modo,
temporis spatio & aliis circumstantiis quibus afficitur tale aut tale in suâ
specie prædicatur : ipsum autem judicatur sanum pro hujus - ce systematis
legum rectitudine aut ab ipsis deviatione. Vitam hominis quandiu durat
in partium corporis functionibus tum vitalibus, tum naturalibus, tum
animalibus consistere, nemo est qui inficiatur : ipsas augeri, minui, vitâ
superstite, deprehenditur, cum in iisdem sit ingens graduum diversitas;
sanitas enim est facultas corporis apta omnibus actionibus perfectè exer-
cendis, & omnes actionum illarum effectus ad motus determinatos & ad
assumptorum immutationem revocantur. Status ergò corporis viventis
habens facultatem exercendæ cujuscumque actionis dicatur sanus, cujus
idea est præsentia requisiti ad exercitium possibile actionis vel absentia
repugnantis exercitio eidem; qui enim actiones homini proprias exercere
valet cum facilitate, oblectamento & quâdam constantiâ eum sanum
habemus, quem verò easdem exercere non posse aut tantum eas peragere
cum molestiâ, dolore citâque defatigatione animadvertimus, eundem
vocari & esse ægrotantem quis negaverit? Ut itaque actiones sic morbi
distingui possunt, ut conditiones ad actiones, ita & harum defectus; qui
enim haberet perfectè intellectas omnes conditiones requisitas ad actio-
nes, ille perspiceret clarè defectum conditionis ex cognito morbo, &
rursum benè caperet ex cognito motûs defectu naturam morbi indè ne-
cessariò sequentis. Motûs igitur mensura, naturæ mensura, undè sani-
tatis sive substantiæ mensura.

III.

ATQUI corporis exercitatio hanc - ce constantiam in functionibus
conservat & auget; sive enim contineat solida & liquida in suâ
renitentiâ æquilibrii, relaxando fibras crispatas, contrahendo filamenta
partium solutarum, vacuando humorum redundantiam, sanguinis & hu-
morum diathesim alterando, istorum citiorem motum compescendo, ip-
sum lentiolem provehendo, utriusque partis molem augendo, minuendo,
sive aliis quibusque modis vitam servet, augeat, roboret. Omnes enim
corporis partes ad sui ipsius sanitatem non solum contribunt efficiendam,

sed ipsæmet partes naturaliter dispositæ & motæ sunt sanitatis causa essentialis & proxima atque ipsissima sanitas, quæ pendet à rectâ sex rerum non naturalium administratione : ex istorum enumeratione principem locum tenent frictiones in motuum genere, quæ sunt levissimæ exercitationes quarum diversitas salubritasque desumuntur à tempore, loco, mensura, & modo quibus corpori adhibentur. Excretio crassi tutissimis juvanda iis quæ magis excitent fibras, & solvant excernenda : præcipua sunt vapores, fatus, inunctiones, balnea concomitante frictu : juvenibus enim, senibus, & iis quibus viscera debilia, difficilis digestio, vita quieta, sedentaria, otiosa ; hæc maximè prosunt præsertim si habeatur ratio ætatis, temperamenti, consuetudinis, & aliarum circumstantiarum quæ pertinent ad Hygienem. In genere modus faciendæ frictionis definitur rubore & tumore, tunc enim à frictione abstinendum præsertim si corpus gracile fuerit reficiendum, si crassum extenuandum. Convenit frictio tempore hyberno & autumno, depositis prius excrementis tum alvi tum vesicæ, tunc aut totum corpus aut pars fricanda lavanda, sordes detergendæ, & linteis modicâ compressione ac celeritate fricandum.

IV.

MULTÆ sunt frictionis species. Duplex tamen hîc loci maximè considranda venit, præparatoria scilicet & apotherapeutica. Illa exercitationes præcedit ne quid rumpatur vel obstruatur mutatione subitâ à quiete admotum ; etenim frictione exiguâ partes solidæ incalescentes remolliuntur, excrementa extenuantur meatusque laxantur : hæc verò minoribus & blandioribus moribus perficitur cum olei perfusione quæ partes corporis humectat ac recreat ; si quid hæreat meatibus discutit & corpus à lassitudine tutum reddit. Si frictio fuerit mollis carnem laxat, molliat, meatus aperit ; si fuerit dura cogit, siccet & adstringit ; pauca carnem leviter remittit, redditque contrectabilem ; multâ liquat, & extenuat & si dura simul fuerit contrahit, corporisque molem deprimit ; mediocris verò modicè calefcit, distributionem juvat & carnem auget. Frictio adhibetur ad reficiendum, vacuandum, revellendum. Nam quos siccitas macerat vespertina artuum juvat frictio ut in partes externas sanguis distribuatur. Si purgatio universa aliquid reliqui fecerit fractione discutitur ; eadem ratione capitis & artuum frictio matutina referatis cutis meatibus humores eliminat. Ad revellendum etiam advocatur frictio, foras enim materiem evocat ac dirigit, quâ discussâ alia in partem defrictam confluit : si totum corpus fricari convenit, primùm crura à superiore parte deorsum linteis non admodum mollibus, sed modicè asperis, deindè & tota brachia ab humeris usque supernè deorsum simili modo sunt fricanda ; at ubi artus omnes abundè calere videntur & metus est ne quis ex multitudine frictionis lassitudinis sensus superveniat, oleo utendum est : cùm jam artus plurimùm perfricti fuerint, postea oleo

4

detergentur. Indè ad dorſi ſpinam tranſeundum eſt, hæcque tota perfricanda ſimiliter, ab hæc rursùs ad crura & & hinc ad brachia, mox indè rursùs ad ſpinam remeandum & ità quantum neceſſe eſt fricandum.

V.

SICUT inchoante rachitide, exiſtente phtifi, increſcente ſenio, conducit introductio nutrimenti per appoſita externa halitu, fotu, balneo, clyſmate, unguento; ità purgationes cutis externæ per frictiones, loturas, balnea, fomenta, natationes, deterſiones egregie proſunt. Capitis præſertim ſcalptura cum pectine retrorsùm in vertigine, epilepſiâ, ophtalmiâ, aurium dentiumque doloribus, tonſillarum, gingivarum, nârâ inflammationibus, cervicis atque totius capitis fluxionibus. Collutio oris eſt quædam deterſionis atque frictionis ſpecies quæ adhibetur in aphtis, & aliis dentium, linguæ, palati, uvulæ & aliarum partium oris doloribus atque morbis. Quotidie cum tepida eſt prophylacticum oris; ſicut & levis deterſio oculorum, aurium, totius faciei, pedum manuumque, axillarum & inguinum cum leviori frictione. Univerſas corporis partes ſuis menſurâ & modo ſigillatim fricari oportet. Frictionibus enim color & calor nativi augentur naturales actiones in toto corpore felicius perficiuntur, excrementa expelluntur, exigui meatus purgantur, membra aluntur & ſunt ad labores robuſtiora. Frictiones ſupplent aëris & loci mutationi, deambulationi & aliis exercitiis à motu locali. Qui litterarum ſtudio incumbunt, qui morbo laborantes in cubili detinentur, aut qui ſalcioni, pilæ magnæ & parvæ ludo, deambulationi, equitationi, vehiculo ſive currui, lecticæ, navigio aſſueti hiſce exercitiis non indulgent, eos fricari bonum eſt.

Ergò frictus eſt ſalutaris.

Proponebat Pariſiis VINCENTIUS BENON DES CHASNES, Matisconenſis,
nec-non Saluberrimæ Facultatis Pariſienſis Baccalaureus.

A. R. S. H. 1789. AB OCTAVA AD MERIDIEM.



Typis QUILLAV, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1789.